

323 recto, l. 39

Anemone dicta, quod flos nunq[uam] se aperiret nisi uento flante intra florem caput habet papaueris cum sint duae species utraeq[ue] sunt acutae et abstergendi sunt potestatis, inde radix discissa pituitam prouocant et succus nares purgant, et in oculis cicatrices attenuant et putredines hulcerum purgant ambae anemonae, lepras arcent, appositae mestrua prouoca[n]t, lacq[ue] eliciunt cu[m] uino potae, later[is] dolores incipientes absterge[n]t.

323 recto, l. 43

Anethum calefacit tantum, ut secundi sit oridinis absoluti, aut primi largi. Arefacientium autem secundi ordinis incipientis, uel primi finiti. Decoctum autem ex oleo distrahendi, et dolores amouendi . somnum excitandi uim habet, crudaq[ue] concoquit, tumoresq[ue] sedat. In tertio autem ordine est inter calefacentia, et arefacentia et ob hoc contractis concretisq[ue] hulceribus impositum prodest, praeserrtim in pudibidis, et quae exhulcerata, cicatricosaq[ue] in genitalibus et uesicae loco. Humidius autem et minus calidum uiride quod adhuc in succo, et perinde purgat magis, q[uam] aridum, magisq[ue] somnum excitat distrahendiq[ue] uim minorem habet.

323 recto, l. 50

Anthemis, ut alii antemis, uel chamaemelum. Calefacit et arefacit in primo ordine, tenuiumq[ue] partiu[m] est et perinde uim distrahendi, et rarefaciendi, et deprimendi summittendiq[ue] habet. Si igitur uiridis fuerit, expedit ex oleo coquere in quo flos sub sole detentus . sin arida paucu aspergatur aceto, inde cocta cum oleo efficitur co[m]modo, ubi necdum materia perfecte pacata est, quae ad caput euoluebatur . distrahit na[m]q[ue] quae in capite, aliamq[ue] non attrahit, quod nullum aliud facit medicamen. Necepso autem aegyptius iubet florem purum ipsius chamamoeli pubescentem colligere, terereq[ue] in mortario beneq[ue] subigi in fidelia, conficiq[ue] pastillos mediocres, et in umbra arefieri et reponi . cum eorum usus aduenerit pastillum sumi unum immittiq[ue] in oleum primarium, quantum satis sit, quod expressum primo fuerit. inde inungi corpus a capite ad imos pedes totum febricita[n]tium, inde tegi aegrum, et foueri . tum ait excitari sudorem salubrem, ac febre liberari foreq[ue] ob hoc idoneum peregrantibus remedium, quia facile quiuis secu[m] habere potest et absq[ue] impendio sibi cauere idq[ue] experientia plurium alii quoq[ue] eruum esse attestantur maximeq[ue] congruere meatibus aperiendis. Iubet quoq[ue] is pastillos in aqua calida dilutos potare febri correptos drachmae quantitate.

323 verso, l. 9

Anisum, cuius semen praecipuam habet utilitatem acutum et subamarum est, ut proxime accedat caliditate ad ea, quae urunt est nanq[ue] ad calefacie[n]dum ac exiccandu[m] tertii ordinis, et perinde urinam cit, uimq[ue] habet distrahendi uentososq[ue] humores in aluo sistit.

323 verso, l. 12

Apius, idest pirus domestica huius folia et ramuli austeri. Fructus autem nonnihil aquosae dulcedinis, ex quibus manifestu[m] temperamentu[m], quod sane inaequale suis partibus, ob hoc mansa quide[m] conferu[n]t stomacho, et sitim sedant. Imposita uero arefaciu[n]t, et mediocriter refrigerera[n]t ait Aetius se eis uulnera glutinasse.

323 verso, l. 15

Aparine, ut alii philanthropon, ut alii omphacorpon . nascitur in hortis passim asperitate uestium tenaci, ramosa hirsuta uulgus lapa[n] uocat mediocriter absterget, et arefacit . habet aut[em] aliquid partiu[m] tenuium.